

credentes. De hoc igitur mystico corpore subiectio ista intelligi quoque potest, quando CHRISTUM Patri suo in die novissimo subijciendum asserit Apostolus. Quamvis enim in hac quoque vita pii ac verè credentes DEO jam subiecti sint, ob rebellionem tamen carnis, cum caro adhuc concupiscat adversus spiritum, plenaria illa in regno gratiæ haud est; illâ verò lucta finita, tum integrè, plenè ac perfectè DEO subiecti futuri sunt, quando Filius multos secum in gloriam adducet, *Ebr. II. 10.* sublatis ex felicissimo & beatissimo illo regno omnibus omnino culpis, ratione quarum Ecclesia militans non videbatur illi perfectè subiecta. Conf. *B. Glasius in Rhet. S. p. 44.* ac *Calovius l. c. p. 676.* ut & *Vinarienses in b. l.*

CAPUT V.

De

Subjectionis Fine.

§. I.

HIs ita expositis, superest, ut præeunte Apostolo, *Subjectionis hujus Consequens* brevissimis adhuc excutiamus, quod hisce verbis describit: *ἵνα ἢ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι*, ut sit DEUS omnia in omnibus; Hæc summa DEI majestas est, quæ Subjectionem Filii consequitur, uti particula *ἵνα*, h. l. *ἐκβαλτικῶς* sumpta, oppidò demonstrat. Vid. *Glasii Grammat. S. pag. 618. seq.* Hic autem ante omnia observamus, per *τὰς πάντας*, quibus DEUS omnia futurus dicitur, non omnes in universum intelligi creaturas, rationales æque ac irrationales; Non enim jumentorum aliquando locus erit in futuro

futuro